q

Quatuor virtutum species multorum sapientum
sunt diffinite per quibus animus
humanus comptus ad divinitatem
possit accedere. Harum prima est prudentia
Secunda magnanimitas. Tertia continentia
Quarta iustitia. Singule ergo hiis officiis
que subter annexa sunt honestum ac mo-
ratum faciunt virum.
Quisquis ergo prudentiam sequi desideras
tunc per rationem recte vivas. si omnia
prius estimes et perpenses. ut
dignitatem rebus non ex opinione multorum.
sed earum natura constituas. Nam scire
debes quia sunt que videntur bona esse et non sunt.
Et sunt que videntur bona esse et non sunt.
¶ Quicquid autem ex transitoriis possides
non mireris. nec magni estimes quod caducum est.
Nec apud te que habes tanquam aliena
servabis. sed pro te tanquam tua dispenses
¶ et utaris. Si prudentiam amplecteris ubique
idem eris. et prout rerum ac temporum varietas
exigit. ita te accomodes tempori. Nec te
in aliquibus mutes sed potius aptes. Sicut
manus que eadem est cum in palmam extenditur
¶ et cum in pugnum restringitur. Prudentis proprium est
examinare consilia. et non cito facile cito
credulitate ad falsa prolabi. De dubiis non
diffinias sed suspensam teneas sententiam. Nichil
inexpertum affirmes quia non omne quod verisimile
videtur statim et verum est. sicut et sepius quod
primum incredibile videtur non continuo falsum est.
Crebro siquidem faciem mendacii veritas retinet.
Crebro mendacium faciem veritatis occultat.
Nam sicut aliquando frontem tristem amicus et blandam